



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 9. An differendus parvulorum & adultorum baptismus,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

3. Th. 3. p.  
q. 67. art. 6.  
ad 2.

Resp. Ex Angelico Doctore, In casu necessitatis unus posset simul plures baptizare sub hac forma: Ego vos baptizo; puta si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid huiusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentur. Sed extra casum necessitatis graviter peccaret, qui multos simul baptizaret.

Quaest. 9. Est-ne differendus Baptismus parvulorum & adultorum?

Idem habet  
q. 66. art. 5.  
ad 4.

D. Th. 3. p.  
q. 68. art. 8.  
in corp.

Resp. Si pueri sint baptizandi, inquit Divus Thomas, non est differendum Baptisma: Primo quidem, quia non expectatur in eis major instructio, aut etiam plenior conversio: Secundo propter periculum mortis, quia non potest ei alio remedio subveniri, nisi per Sacramentum Baptismi; adultis vero subveniri potest per solum Baptismi desiderium: Et ideo adultis non statim cum convertuntur, est Sacramentum Baptismi conferendum; sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus: Primo propter cautelam Ecclesiae ne decipiatur, Sacramentum fidei accedentibus conferens, secundum illud Joann. 4. NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE, SED PROBATE SPIRITUS SI EX DEO SINT: Qua quidem probatio sumitur de accedentibus ad Baptismum, quando per aliquod spatium eorum fides & mores examinantur; secundo hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizantur, quia aliquo temporis spatio indigent ad hoc quod plene instruantur de fide & exercitentur in his quae pertinent ad vitam Christianam.

Sed quia saepe aliquando accidit, quod parentes non adhibent omnem diligentiam ut filii eorum baptizentur, sed differunt eorum Baptisma expectando paternos vel maternas,

*De Sacram. Baptismi. Cap. IV. 77*  
plura Concilia huic malo remedium adhibere  
conati sunt, illud expressè prohibendo.

Concilium Lingonense: *Sacerdotes*, inquit, Concil. Lin-  
curati saepe moneant suos Parochianos, & gonense an.  
maximè quando scient aliquas pragnantes esse 1404.  
proximas partui, quod infantes suos noviter  
natos faciant, quam citò potuerint baptizari:  
ne differant eorum Baptisma pro expectando  
patrinos vel matrinas, vel alià causâ; quia  
periculum est in mora & si infantes interim  
sine Baptismo morerentur, eorum damnatio  
imputaretur illis, qui Baptismum distule-  
runt.

Concilium Biruricense an. 1582. *Quia Bap-*  
*tismus*, inquit, est ingressus in Ecclesiam  
Christi, & id sine quo nemini in regnum  
calorum patet aditus; idcirco precipimus, ut  
quàm citissimè fieri poterit, parentes liberos  
suos baptizandos curent, neque diu expectent  
susceptores & patrinos, ne dum in vana ad  
Baptismum pompa apparanda tempus teritur,  
animas Christi sanguine redemptas maximo  
gravissimoque periculo, è quo emergere nun-  
quam possint, exponant.

Communiter prohibetur in Diœcesibus Gal-  
liæ differre Baptismum ultra tres dies, & sic  
statutum fuit in Synodo Diœcesis Vasionensis  
an. 1676.

